



Fractaque vox imis singultibus intercepta
 Effari poterat vix tribus, Anne jacet?
 Ah jacet! attonita quid adhuc quasi mente rogamus?
 Ille tui vindex, gens studiosa, chori;
 Orbis amor docti, quo stante nitentia stabant
 Moenia Musarum, quo moriente dolent.
 Sic igitur firmo praeceps mori sub aevo?
 Ne morere! accelerans sed jubet hora mori.
 Lumen honoratae gentis, praenobile fidus,
 Maxime vivacis nobilitatis honos.
 Gloria magnorum non interitura parentum,
 Vorticibus pigrae non abolenda stygis.
 Quem decus & virtus rutilantibus inserit astris,
 Et defaecatae religionis amor,
 Fervidus & Candor mentis levitate carentis,
 Et pia simplicitas, & generosa fides.
 Si jactant alii fumosis atria ceris
 Densa, vetustatis praemia cara suae,
 Si monumenta Scopae, patrios referentia vultus,
 Si vetus ostentant saepe Myronis opus,
 Phidiacaeque manus pretiosa toreumata, vel quae
 Lysippus finxit Praxitelesque sagax,
 Quaeque vigil Coi sollertia pinxit Apellis,
 Quaeque Timantheus, plebe stupente, labor,
 Atque ita majores, totamque ab origine gentem
 Proponunt, titulos subjiciuntque suos:
 Non minor est justa proavorum laude tuorum,
 Non minor es gentis nobilitate tuae.
 Stirps tua prae reliquis prisca virtute renidet,
 Et decus à longa posteritate trahit.

Splendet